

πm
779







A. Ω.
WRATISLAVIENSIVM
Quorundam Patronorum ac Civium
STVDIVM
Colligendi Numos

in
Gymnasio VVrat. Magdalenæo
 a. d. XXI. Sept. A. O. R. clō. 10c. LXXIX.
 Horis à I. pomeridianis
ex merito commendandum
 intimat

M. GEORGIUS Bende.

VRATISLAVIÆ,
In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographia
 exprimebat **GODOFREDUS GRÜNDEK.**





Prosponeſis ad Lectorem.

Desine antiquiora deſpicere, Amice Lector, qui hucusque ætatis tuæ Numismata tantopere deperis. Sua duntaxat æſtimare, vetuſta ex adverſo deteſtari velle, ab æquitate alienum videtur. Verum eſt, non valent illa hodiè, niſi recuſa, niſi moderni cujuſdam Principis Imagine aut Nomine ſignata; quis verò præſentis ſolùm Seculi? quis plebejorum uſu omnia æſtinet? Erat olim, cum priſtinæ Monetæ ſuus conſtaret Valor: erit olim iterum, cum & præſentis exſpiraverit. Cum Valore tamen nec imminutum ſimul eſt, nec imminuetur temerè Pretium, utpote ex intrinſecâ illius bonitate potius, quàm Principis, ut nunc quidem fit, arbitrio petendum. Vulgus, pro avaritiâ ! utilitate omnia; defeciora Ingenia jucunditate quoque aliqua metiuntur. Si ad eſculenta fortè comparanda Philippi junioris Numus non ſufficit, ad teſtandam utique ejus Liberalitatem ſufficit. Quem Lucri cupidus Uſurarius inſuper habebat Heraclium, magnus Hetruriæ Dux, tanquam curioſum Cimelium, magno ſatis olim redemit pretio. At verò & utilia, immò, ex illuſtris Spanheimii judicio, utiliſſima ſunt illa prudentis Antiquitatis documenta. In quibus Erudicum ſubinde amœniorem eſſe decet, in iis apprimè materiem, complementum, robur & ornatum ſuperaddunt litterata illa Metalla. Numismata, quis dubitet? Artificum Magiſtræ, Philologorum Obſetrices, Historicorum Cynoſuræ, Ethicorum Scenæ, Theologorum, Gentilitia Sacra reſellentium, Repertoria quaſi quædam ſunt, & meritiffimo ſuo vocitantur.

Hæc verò ſi ſuſpiciſ, Deſine etiam ſuggillare Germanos, quiſquis pretioſa hæcenus in Exterorum Oris miratus eſ Scrinia. Antonium Auguſtinum, & Laurentium Ramiretz de Prado inter *Hiſpanos*; inter *Gallos*, Guilielm. Budæum, Antonium Piſonem, Guil. Choulartium, Petrum Seguinum, Claudium Buterove, Dn. Segierum, Dn. de Lamignon, Triſtanum, Jacob. Sponium, ac Dn. Carolum Patinum; inter *Italos*, qui hæc in parte citra controverſiam primas merentur, M. Hetruriæ Ducem, Jacobum à Strada, Æneam Vicum, Sebaſt. Erizi, Fulvium Urſinum, Fr. Calceolarium, Ludovic. Moſcardum, Joh. Cavacciam, Joh. de Lazara, Ferr. Imperatum, N. Septalam, Ferdin. Coſpi; inter *Danos* Olaum Wormium; inter *Belgas* Hubertum Golzium, Lævin. Hulſium, Joh. Smetium, & Dn. de Witzen, ſuâ, quam aliqui habent, aliqui merentur, Laude citra Invidiæ ſuſpicionem abundare permittimus: Caterùm, & Germanis, hominibus ad culturæ elegantioris momenta non minus, quàm ad durum laborem perfe rendum aptis natis, aliquid tribuere integrum fuerit. Etenim ex quo incredibilis illa Numorum utilitas inter Eruditiores magis magiſque innotescere cœpit, non defuerunt paſſim inter Noſtrates, qui rei numariæ ex aſſe conſulturi, ſive diligere, ſive etiam, quæ licuit, curioſè colligere in parte felicitatis humanæ poſuerunt. Potentiſſimi Regis Galliarum Scrinium, quod LOMENTIORUM quondam ſolerti curâ adornatum Ille C. L. Patini operâ ſuum fecit, longè latèque deprædicandum cenſes? Rectè facis. Invidioſiſſimi tamen etiam LEOPOLDI noſtri Cimeliarchium Vindobonenſe præferre ne ambigas. Bonum illud, hoc optimum: excellens illud, hoc excellentiſſimum, utpote 15940. Numos, maximam partem, perſpicuos, genuinos ac notabiles in ſe continens. De Neoftadienſi, Guelpherbytano ac Stutgardienſi Nomismatophylacio, quorum illud Sereniſſ. Electori Palatino, iſtud Illuſtriſ. Brunſvicenſi, hoc Illuſtriſ. Würtembergeniſi Principp. originem debet, quid dicam? Sinceri Germani judicium verè germanum eſt, Italicam quidem illa non mentiri copiam, caterùm fidem pluſquam Italicam promerentia Peregrinorum quoque, nedum Indigenarum, allexiſſe animos. Ecce! & privati inſuper aliqui, ſuperſtitione illâ veteri, quæ domeſtica duntaxat tractare, exotica ſequeſtrare jubebat, damnatâ, quidquid vel ex Oriente, vel Occidente conquirere datum fuit, curioſâ manu convaſarunt, ſagaciſſimâque mente explanarunt. Viri omni laude majores, pars de Officiis Patriæ ſuæ inſigniter antehac meriti, pars etiamnum merentes, Marquard. Freherus, Marcus Velferus, Adolphus Occo, Joh. Mich. Dilherrus, Chriſtoph. Weigmannus, Joh. Luckius, Joh. Hœffeliuſ, Heinr. Meyerus, & quos primo ſtatim loco nominare debebam, Dn. Jonas Schrimpfius, Dn. Ezech. Spanheimiuſ, Dn. Joh. Jacob. Frid, & Dn. Joh. Frider. à Scheurl, ſive quod Italarum cultiores talia moliri viderent, ſive infinitâ Numismatum bonitate compulſi, ab ipſiſ ferè hujus Seculi incunabulis tot tamque nitida comportaverunt Cimelia, ut mirari ſubeat, poſt tantam Exterorum avaritiâ aliquid redundare in Alemannorum reliquias potuiſſe.

Deſine



Define porrò fastidire *Silesiam*, cui Germaniæ nummosæ visi Theſauri perplacent. Pulchra eſt Germanorum, ab hoc frequentato Studio Famam utique reportantium; pulchra quoque eſt Sileſiorum, in eodem minus otiantium, repetita Prodigalitas. Ultima Terrarum licet Sileſia, ſi cum interiori Germaniâ comparetur, in adamandis tamen amœnioribus ultima eſſe nequit. Quam in Bohemiæ Regno Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Dn. JOH. HARTWIGIUS, S. R. Imp. Comes de NOSTITZ &c. dicti Regni Supremus Cancellariuſ, cum ab arduis forte vacat; eandem (ubi dignus contingit Cultor,) in Sileſia Illuſtriſſ. atque Ceſſiſ. Princeps ac Dn. Dn. CHRISTIANUS ULRICUS, Dux Würtemb. Tecc. atque in Sileſia Olſn. & Bernſtadienſis, ex Numorum Veterum Præſtantiâ Voluptatem (bonum factum!) quarunt & capiunt. Wratſlavia noſtra (ut tandem, quod res eſt, intinem,) in Eliſabetanâ pariter, ac Magdalenæâ Bibliothecis, & in illâ quidem ex Generoſi THOMÆ à RHEDIGER, in hac ex Præſtantiſſimi GODOFREDI RICHTERI p. m. Liberalitate deſcendentes; Wratſlavia, in privatis Summorum & Nobilium Virorum Scriniis Numos, vel cum optimis Germanorum (ſciens ac volens hoc ſcribo) componendos, aliquibus etiam anteferendos, gratè exhibet. Illuſtris Vir, Dn. FRIDERICUS MAXIMILIANUS à RETHEL & Hennersdorff, in Schmidefeld & Elgut, S. C. M. Conſil. & Adſeſſor apud Capitaneatum Ducatûs Wrat. Comes Palat. Cæſ. Eques Auratus, quemadmodum nupero hoc trecennali Intervallo abſolutiſſimum quoddam Muſeum ſibi comparavit, ita in Eodem præter ſexcenta alia, quodcunque ex Numiſmatibus rarum aut charum judicatur, mirâ ſolertiâ, nec minore ſumtu depoſuit. Magnificus Dn. JOH. SIGISMUNDUS ab HAUNOLD, in Sacherwitz / Incluti Senatorii Collegii Senior, &c. in Recentioribus inprimis; Incomparabilis Dn. DANIEL CASPAR à Lohenſtein / in Kütſlau / Neufau / & Koſſkowitz / S. C. M. Conſil. & Reip. Wrat. Proto-Syndicus, in antiquioribus apprimè, quæ non ubivis obvia, ſpectantium offerunt oculis. Nec laude ſuâ defraudandi veniunt. Nobiliſſ. Dn. GEORG. MAURITIUS ab Hoffmannswaldau / in Arnoldemühle / & Nobil. Dn. DANIEL à Neufch / Mercatorum, quos Wratſlavia alit, facilè primariuſ ac Senior. Ille enim, ſi juſtam Cæſarum ſeriem deſideres, à J. Cæſare uſque ad Gallienum in æreis dabit: Hic, ſive ex antiquioribus, ſive recentioribus ſelectiora Numiſmata eſſagites, quantum ex Hollandiæ Provinciâ ante biennium felix aſportavit, pro ſuâ, quæ erga Bonos humanitate fertur, libens communicabit. Quid opus eſt ambagibus? Sileſia, etiamſi alioqui non ita dives, totiuſ propemodum terrarum Orbis Cimelia juſtè conquiſita, ritè diſpoſita, utiliter explanata, in diverſis offert Scriniis.

Define tandem etiam abjectè de *Scholis* ſentire aut loqui, qui delicatiora quaſi ſola dicendorum, hæcenus affectaſti Apoſpasmata. Promimus, ita eſt, utilia Juventuti, cum vocis officium ſibi Lectio publica poſtulat: quando verò ad Actum aliquem Gymnaſticum invitatum Te venimus, ſubinde in utroque Gymnaſio Tuiſ Deſideriis reſpondentia, h. e. curioſa eligimus. Amice Lector, niſi egregiè fallor, obveniet & hac vice tale. Quippe ut ne de me conquerendi aut emanendi anſam arripias uberrimam, Wratſlavienſium quorundam Numiſmata, Materiem Tuâ Expectatione dignam, pro virili exponere in animum induxi. Jam, ſi hoc mutato Numos amas, B. L. gratulare ſis hodie Germaniæ, felici Exterorum æmulatrici; ſi domeſtica præ peregrinis placent, gratulare ſis Wratſlaviæ, vel Matris ipſius Encomia ſupergreſſæ; ſi Tibi ipſi faves, gratulare ſis Tibi, vel in ipſa Patria, quicquid alioquin non ſine ſumtu, certè vix ſine temporis diſpendio, peregrè quaſiveris, modò velis, apud cultiores inventuro. Patroni reverà, & Ego unà cum iis, gratulabimur nobis impenſè, ſi craſſina Luçe pomeridiana in Auditorio noſtro ſuperiori præſentem Te venerari, æque ac abſentem amare, licuerit. Advenias igitur, decenter à me invitatus. Sicuti ex hoc, quanti Numos, Germanos, Wratſlavienſes, Scholaſque facias, haut obſcurè hariolabimur; ita pro iſthoc Benivolentiæ, Humanitatis atque Amicitiaæ caractere, non Numum quidem ullum, (hoc enim rariori admodum utuntur, qui Scholæ inſerviunt,) attamen vel Numis præſtantiſſimis nobiliorem redhoſtiendi animum promptiſſimi offeremus. Scribeb, in Muſeo meo, a. d. 20. Sept, A. O. R. 1679.

Prodibunt.

PK Tm 779

Prodibunt

I. PROLOGUS, de hodierni Seculi curioso colligendi Studio quædam præfaturus :
Dn. Joh. Julius L. B. à Zahradecf.

II. DECLAMATOR, ANTIQUARIUS, Veterum Numorum Studium suo stylo in
genere commendaturus : *Samuel Regius, Wrat.*

III. COLLOCUTORES,

1. De Numis undecunque collectis disserturi ;

1. PEREGRINI, quid Wratislaviæ hæc in re præstitum sit, indagaturi :

1. *Johannes Andreas Hückelius, Cüstrinensis.*

2. *Johannes Zingarten/Lubecensis.*

2. INDIGENÆ SILESII, enarraturi sive rariores, sive notabiles aliquot Wra-
tislaviensium Numos,

1. Bibliothecarum publicarum,

1. Elifabetanæ : *Caspar à Pogress.*

2. M. Magdalenæ : *Abraham à Czetriz.*

2. Privatorum Scriniorum,

1. Retheliani : *Wenceslaus Sigismundus à Seidliz.*

2. Haunoldiani : (*Georgius Mauritijs à Salisch.*
Otto Sigismundus à Mostiz.)

3. Lohensteiniani : (*Joh. Sigismundus à Kreckwitz.*
Carolus Henricus ab Alleman.)

4. Hoffmanswaldiani : *Fridericus Alexander à Spiller.*

5. Reuschiani : *Dipprandus à Reibniz.*

2. De Numis forte fortuna in Silesiæ agris inventis confabulaturi :

1. NUMULARIUS, quorum hæcenus copiam habuerit, aut viderit, expositurus :

David Titius, Posontensis.

2. PUERI, quos noviter inventos acceperunt, sive ostensuri, sive vendituri :

1. *Paulus Fridericus à Dreßtn.*

2. *Joh. Christianus Roth/Winzigiens.*

3. *Georgius Fridericus Wende/Wrat.*

4. *Godofredus Valentinus Bloger/Juliusburgensis.*

5. *Cunradus Ernestus à Schmettau.*

IV. POETA, Conterraneos suos ad laudatorum Dnn. Collectorum Cimelia ritè æsti-
manda Germanico Carmine sollicitaturus : *Joh Christophorus Sigismundi, Wrat.*

V. EPILOGUS, superaddito Monito, ut aliqui Silesiorum, si non alienos, suæ saltem
Patriæ, Numos ratihabeant, decentes gratias acturus : *Balthasar Nicolaus à Niebelo
schütz.*



Prodibunt

Pou Tm 779,FK


ULB Halle 3
003 900 525



1017







K.13
55

